

servire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. » Denique, quomodo non rideant, cum vident nos per totam hebdomadam laborare aliis, nobis ipsis vero nec per unum quidem diem? Bonus ille Jacob cum per annos quatuordecim servisset socio suo Laban, tandem suis etiam rebus aliquando provisorius veniam discedendi petiit: *Tu nosti, inquit, quomodo servierim tibi, etc. justum est igitur, ut aliquando provideam domui meæ*, Gen. XXX. Efficax argumentum, cui nec ethnicus Laban potuit contradicere. Dic igitur et tu Christiane, qui per totam fere hebdomadam mundo, mammonæ, abdomini, servis, die in die festo: Satis aliis servivi; justum est igitur ut aliquando provideam domui meæ. His diebus tempori servivi, nunc serviam æternitati.

CONCIO IV.

AVARITIE HYDROPSIS VITANDA.

I. Sectatur avarus res viles. — II. Frustra opes possidet. — III. Cruciatu suis opibus in toto fere corpore. — IV. Quo plus habet, eo plus cupit. — V. Sordidus est. — VI. Cum insatiabilis sit, Dei iram experitur. — VII. Turgidus est, nec cælum ingredi potest.

THEMA.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
Luc. XIV.

Quale genus hominum, designet hic hydropicus, vel Diogenes ille gentilis edicere nobis potest. Aiebat enim hic avaros similes esse hydropicis, quod illi argento pleni, hi autem referti aqua, amplius desiderant, quodque dolendum est, utrique in magnam sui perniciem, apud Stob. serm. X. Cui optime concordat D. Augustinus, serm. V. de verbis Domini: « Et habes, inquit, et concupiscis, et plenus es et sitis: morbus est, non opulentia: sunt homines in morbo, humore pleni sunt et semper sitiunt: humore pleni sunt et humorem sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, qui habes hydropem concupiscentiam? » Concordat et D. Greg. I. XIV. mor. c. VI. « Hydropicus, inquit, quo amplius biberit, amplius sitiit: et omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda amplius et amplius anhelat. » Quando igitur habemus quinam sint hydropici secundum animam, videamus accuratius morbi hujus naturam et periculum.

I. Hydropicus aquam et quemvis obvium potum sitiit ac bibit: ita etiam avarus res sectatur viles, terræ nimirum glebas rutilantiores, aurum et argentum. Utrumque gignitur in terræ

visceribus, ibique latet velut indignum humanis oculis. Nullam in se vim habet nutriendi corpus, nullam calefaciendi, neque nisi per accidens, eximendi ab ægritudinibus. Ad æternos sensus nihil plane confert, unde præteritur a pecoribus veluti inutile. Cito gravat latorem et possessorem suum quandoque etiam mergit nec sinit enatare. Solo hominum arbitrio factum est, ut pretio sit æstimabile. Unde D. Bern. serm. IV. in adventu ait: « Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam? » Et Thomas Morus, libro II. utopiæ: « Aurum argentumque, inquit, quis non videt, quam longe infra ferrum sunt? Ut sine quo non magis quam absque igni atque aqua vivere mortales queant, cum interim auro argentoque nullum usum, quo non facile careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset. » Quare sicut terram pedibus calcamus, non manibus contingimus, ita aurum et argentum, quia terræ partus sunt, calcanda et spernenda sunt. Parvuli dumtaxat reptare in terra manibus solent, quemadmodum et bestię; parvulos ergo se demonstrant et insipientes, qui glebas illas amant. Hinc sicut infantes, qui rebus vilibus, uti puppis et nolis delectantur, involvuntur fasciis: ita divites, qui vili terra rubra et alba auro scilicet et argento delectantur, eoque se involvunt quasi, idcirco a Sophonia, c. I. appellantur *involuti argento*: *Disperierunt omnes involuti argento*. Hujusmodi fuit C. Caligula imp. pecuniæ avidissimus, quem inter immensos auri thesauros volutari solitum scribit Suetonius, in ejus vita, c. XLIII. Ridemus infantes quando puppas et imagines fictas veluti vivas tractant atque ornant stultos quoque asserimus gentiles, qui aureas vel argenteas statuas pro diis suis colunt; at quid aliud agunt avari, cum auri et argenti massas omnibus aliis rebus præferunt? Hinc non immerito apostolus ad Ephes. V. avaritiam appellabat *idolorum servitutem*. Idola apud Hebræos *elilim* vocantur, id est, vanitates et res nihili, quæ vanam et mendacem umbram divinitatis præ se ferunt, uti Levit. XIX. *Nolite converti ad idola*, Hebr. *elilim*, q. d. *deiculos*. Hoc igitur avari sibi dictum existiment: sciantque se stultissimos, deiculorum, pupparum et nugaram adoratores esse. Audiant Chrysostomum in I. Timoth. VI. « Candore, inquit, lucentis margaritæ attraheris? Cogita maris esse aquam et in ejus finibus ante jacuisse dejectam. Rapi animam auri fulgor et nitor argenti? Cogita terram ac cinerem ea prius fuisse et modo esse. Placet pretiosa et serica vestis? At vermium ille contextus est: opinio est et humana præsumptio;

nihil habet in se naturalis pulchritudinis. » Sane populi orientales, qui abundant auro et gemmis, valde mirantur nos tam eorum cupidos esse, cum ex sua natura ad nihil fere utilia sint. Nec defuerunt aliqui, qui repertum aurum defoderent, uti Babytaceni, apud Solinum Polyhist. cap. XXX. ne polluti ejus usu, avaritia corrumpere æquitatem.

II. Hydropicus frustra bibit, quia potum male digerit, nec in sanguinem purum, sed in corruptum et aqueum humorem mutat. Pari modo avarus frustra conquirat et possidet pecunias, quia non impendit utiliter: corrumpit fere opes suas, dum perire eas mavult, quam cedere in usum egentium. Sic enim Ecclesiastes, cap. VI. de avaro qui non fruitur bonis suis ait: *De hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus; frustra enim venit et pergit ad tenebras, oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit solem, etc.* Similis quidem abortivo est avarus, quia uterque frustra et nulli hominum usui nascitur, cum neuter finem nativitatæ acquirat: uterque frustra in hoc mundi theatrum venit quia abortivus statim moritur, avarus sic vivit quasi non vivat, utpote nec sibi utilis, nec aliis: uterque pergit ad tenebras et deletur oblivione; quia abortivus nihil omnino, avarus nihil memorabile aut memoria dignum gessit, ut qui nec reipublicæ, nec patriæ; nec sibi aliis boni aliquid præstitit: uterque non vidit solem, quia abortivus: si aliquando solem vidit, forte ad diem vidit et nesciit, quid videret; avarus cum mœstitia semper aspexit solem, adeoque nullam lucis hujus percepit jucunditatem. Hinc forsitan a natura comparatum est, ut terra quæ auri et argenti venas habet, aliis in rebus sterilis et inculta sit: quia etiam avari, qui domi suæ aurum abscondunt, semperque, in animo gerunt, et multiplicant, steriles in mundo sunt, nullumque liberalitatis, elemosynæ, magnificentiæ, charitatis et honestatis fructum edunt.

III. Hydropicus cruciatur aqua intercute. Avarus quoque cruciatur a sua cupiditate et pecunia. Alioquin Ecclesiastes non appellasset eam *infirmi-tatem*; ait enim, cap. V. *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui, pereunt enim in afflictione pessima, etc.* Causam reddit Plutarch. initio I. de cupiditate divitiarum: « Si quis enim multa edens multaque bibens nunquam saturaretur, nonne putas eum ad medicum iturum et interrogaturum, quis hic morbus? Si quis autem multis prædiis, multo argento non expleretur, eum non putabis medico indigere? » Sane Achab rex cum petiisset vineam Naboth, et non obtinisset: Pro-

jiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, et non comedit panem, III. Reg. XXI. quasi æger non animo solum, sed et corpore esset. Fuit autem ægritudo illa, mera avaritia seu mœror inde resultans, quod non posset frui desiderata vinea. Neque vero in uno dumtaxat membro avari cruciantur, sed in toto fere corpore. Laborant primo, ex capite, quoniam id curis et innumeris cogitationibus fatigant, vulnerant et cruciant, quomodo opes acquirant, augeant, conservent, expendant. Hinc dives quidam anxius secum ipse consultat: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos*, Luc. XII. De principe quodam accepisse se scribit Balthasar Chavasius s. i. in l. IV. de prud. c. III. quod cum improbis subditis suis magnum et longam creare vellet molestiam, divites eos faceret, quippe accepturos cum divitiis ingentem curarum sarcinam. Hanc ob causam Christus divitias appellavit spinas, Matth. XIII. Hebræi vero avaritiam appellant *vulnus*; idque capiti potissimum infligi asserit Amos, c. IX. cum ait: *Avaritia in capite omnium*, quia curis et anxietatibus caput maxime contundit. Secundo, laborant ex oculis, quia pauperum miserias videre et aspicere nolunt, sed cum sacerdote et levita illo prætereunt vulneratum, quin et via declinant (ut habet ibi vox Hebræa) ne miseriam ejus aspicere et succurrere cogantur. Ad hæc: *Oculos habet avarus* inquit S. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysostomi, ep. CCXXXIII. « Non ut naturæ consentaneum est, cernentes, aut quemquam verentes non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verum asperum quidquam et acre, atque crudele et inhumanum igneumque obtuentes. » Tertio, ex auribus: *Aures usque adeo septas*, inquit ibid. Isidorus, et *obturatas habet, ut nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat*: et D. Ambrosius, l. de Naboth, c. V. « Pauper inquit, te præsentem deplorat, et tibi avaritia aurem obstruit: nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur, et quia non audis, exclamat Ecclesiastes: Est clamor malus, etc. » Quarto, laborant ex faucibus; quia proprio ori deteriora quæque apponunt, meliora vero præscindunt: « Uti Chius ille vina optima vendebat aliis, ipse vappam potabat, sic qui omnia sua depravant, nec suis ipsorum bonis fruuntur. Hujus servus interrogatus, quid ageret dominus: Cum adsint, inquit, bona, quærit mala, » ita Plut. in moral. Hinc bene Ecclesiastes infirmitatem avaritiæ sic descripsit: *Divitiæ conservatæ in malum domini sui*. Quinto, laborant ex corde, quia id in arca pecuniaria potius, quam in corpore suo habent: itaque au-

rum plus quam seipsum amant. Demonstravit hoc aliquando ad litteram S. Antonius de Padua. Cum enim in exequiis avari cujusdam haberet orationem, ait: *Christus dixit: Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Ite ergo ad thesaurum divitis hujus, et ibi invenietis cor ipsius quia ibi cor reliquit.* Itum et quæsitum est et in auro cor inventum; divino utique miraculo ad emendationem avarorum. Sexto, laborant e manibus, quas velut paralyti quadam affectas et contractas habent, quia ad largiendum difficiles. Denique ex pedibus, quia nullam eis quietem indulgens, currunt, equitant, navigant, gravia onera circumferunt, quo lucri aliquid faciant, ut iis dictum videatur id Jer. XVI. *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

IV. Hydropicus insatiabiliter bibit; et quo plus bibit, eo magis sitit. Idem in avaro cernere est. Cætera vitia usu quasi deteruntur et abeunt tandem in nauseam et fastidium, sed avaritia opibus magis crescit et accenditur. Unde auctor ad fratres in eremo, tom. X. August. ser. XLVIII. ait: *Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia juvenescit.* Isaias ut hanc avarorum ingluviem describeret, ait cap. II. *Repleta est terra auro et argento; et non est finis thesaurorum ejus.* Non ait repletum esse cor avari, sed terram; fieri enim potest ut terra repleatur auro, sed avari cor repleri et satiari nequit. Alii variis similitudinibus hanc inexplebilitatem describere conati sunt, uti S. Augustin. lib. de salutar. docum. cap. XXX. « Avarus vir, inquit, inferno est similis: infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit: Satis est (Prov. XXX.); sic etsi omnes thesauri confluerint in avarum, nunquam satiabitur. » S. Ambrosius appellat avaros *pauperum sepulcra*, quia ut sepulcrum devorat et absument cadavera, ita ipsi exossant pauperes. Hugo card. *Avarus*, inquit, *est cisterna dissipata, vetus et rimosa, quæ continere non valet aquas* (Jer. II.) *quia nunquam aquis, id est, opibus, impleri potest.* D. Gregorius Nazianz. in carm. iamb. XXII. dipsadem comparat avaro. Dipsas enim aspidem genus, Latine situla dicitur, a siti vel quam ipsa semper patitur propter ejus siccam igneamque naturam, juxta id Lucan. l. IX. *In mediis sitiebant dipsades undis*, vel quam affert hominibus a se morsis. Unde D. Greg. cit. canit:

Perit bibendo quisquis hæc ictus fuit,
Aquis repertis totus in eos irruens.
Quosque nimio turgidus potu crepet.

Quemadmodum ergo dipsas sitim inexplebilem et in se patitur, et in aliis causat; ita ut nullis aquis satientur, quosque tandem bibendo lar-

gius rumpantur: ita plane et avari nullis opibus expleri possunt, nec prius eorum cupiditas, quam vita terminatur. His avaritiæ morsibus percussi Israelitæ in deserto, propriis opibus non contenti, alienas appetebant. Cum enim secum duxerint ex Ægypto: *Oves et armenta et animalia diversi generis multa nimis*, (Exod. XII.) quæ nova in dies fœtura multiplicata usque ad primum in Palæstinam ingressum conservarunt, (Num. XXXII.) tamen in mediâ solitudine quasi fame tabescentes suspirabant: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Num. XI. ac si nullas tunc haberent, quibus vescerentur. Quis non miretur hos Tantolos, sitiennes inter undas, esurientes inter epulas? Quid moramini Hebræi? Cur non mactatis vestras pecudes? Quia scilicet ut Lyranus respondet: *Propter suam avaritiam parcebant suis animalibus.* Perire igitur malebant, quam suas pecudes interimere; ne perderent pecunias ex iis colligendas. Gratis et ex alieno comedere volebant, non ex suo. Unde dicunt: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis.* Bene igitur advertit Moyses, Deut. VIII. hoc serpentis genus fuisse in deserto. Deprehendimus enim Hebræos, si non secundum corpus, saltem secundum animam ab eo admorsos fuisse. Solinus in Polyhist. c. de Africa et alii qui de exercitu Catonis in Lybia scribunt, narrant militem a dipsade morsum ad mare insano impetu accurrisse, cumque magnam salsarum aquarum vim bibisset, repente extinctum esse. Ita nimirum avari eousque se ingurgitant opibus, donec tandem crepent.

V. Hydropicus deformis est et fœtidus: sic et avarorum conditio, sordida et indigna. Si enim infamiam contrahit nobilis, dejiciens se ad vilem meretriculam; quanto magis homo ad summam natus creaturaque nobilissima magno affectu prosequens pecuniam? Immortalem sibi gloriam pepererat Miltiades Atheniensium dux, quando undecim duntaxat armatorum millibus sexcenta Persarum millia vicerat in campis Marathonis, eam tamen omnem avaritiæ labe contaminavit, vindicans sibi et occultans aliquid de communibus spoliis; propter quod in exilium actus est. Refert Balt. Chavas. l. IV. de prud. c. III. Quicumque etiam honori suo consultum voluerunt, manus suas ab avaritiæ nota, adeoque a muneribus etiam immunes servare conati sunt. Ita Moyses, Nu. XVI. *Tu scis, quod nec asellum unquam acceperim ab eis.* Ita Sam. I. Reg. XII. *Loquimini de me coram Domino et coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum: si de manu cujusquam munus accepi.* Ita apostolus, Act. XX. *Argentum et aurum nullius concupivi sicut ipsi scitis:*

ita L. Hieron. ep. XLV. *Pecuniam cujusquam accepi? Munera vel parva vel magna non sprevi? In manu mea as alienum insonuit?* Pauli Æmilii consulis Romani maxima hæc laus et gloriatio fuit, quod devicto Perseo, ditissimo Macedonum rege, militibus suis omnem ex eo prædam cessisset, sibi nullam reservasset. Cum igitur gloriosum sit spernere pecunias; vile et abjectum vicissim erit, iis inihiare.

Imprimis enim avarus servus est, non dominus suarum divitiarum. Unde Bion septem sapientum unus de avaro dixit: *Hic facultates suas non possidet sed ipsum possident facultates*, Laert. l. IV. c. VII. Diogenes de Anaximene avaro dixit: *Annon pudet eum tam multa habere, cum non habeat seipsum?*

Deinde, custos potius est quam dominus suarum divitiarum. Ita testatur Job, c. XXVII. *Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.* Tinea in veste, dum corrodit eam, domum sibi extruit, interim tamen eandem sibi demolitur: ita avarus cum aliorum injuria domum suam ædificat, sed in suum exitium. Ut enim tinea e veste facile excutitur: ita avarus a suis opibus. Custos in vinea erigit sibi umbraculum, ut custodiat non suas, sed alienas vites, ipse enim vix delibatur uvæ: tota vindemia alteri cedit. Ita quoque avarus summa cura, vigilia, anxietate custodit thesaurum suum, sed aliis non sibi, siquidem vix audet eum delibare. Habebit postea hæredem, qui totum brevi abliguriet. Audite Sapientem: *Est et aliud malum, quod vidi sub sole; et quidem frequens inter homines: Vir cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem et nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ea eo, sed extraneus vorabit illud*, Eccles. VI. « Custos ergo es, inquit D. Ambr. l. de Naboth, c. XIV. non dominus tuarum facultatum, qui aurum terræ infodis: minister utique ejus, non arbiter. »

Tertio, mendicus est; quia ut ait S. Hieron. *Avaro tam ea quæ habet, quam quæ non habet, desunt.* Cui consentit D. Bernardus dicens: *Avarus terrena esurit ut mendicus: fidelis contemnit ut dominus.* Videamus Achab regem; quid illi deesse poterat ad terrenas commoditates? Unica vinea pauperis Naboth, vicina ejus regie, mendicum eum fecit. Cum enim ejus desiderio teneretur, mendicare cepit a Naboth: *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum*; sed cum non obtineret, decidit in lectulum, quasi omnium mortalium desolatissimus foret. Nihil enim se habere putabat si hanc vineam non haberet. Ergo eam mendicare cogit, pretio etiam oblato: « Da mihi vineam tuam. Quæ alia vox egentis est, inquit Ambr. l. cit. c. II. quæ alia vox stipem publice

postulantis, nisi: Da mihi, hoc est, da mihi, quia egeo, etc. da mihi, quia scriptum est: Date elemosynam. » Bene ergo Diogenes eos, quia immensas opes cumularent, solebat appellare *magnificos*.

Quarto, brutum est, non homo, quia terram, non cælum spectat. Omnia animalia, quæ manus habent, terram iis contingunt, quia ad terram creata sunt: solus homo manus a terra elevatas gerit, quia ad cælum factus est; ideoque terram non terit manibus, sed calcat pedibus. Atqui avari manus totæ sunt in terra, auro scilicet et argento, quemadmodum et vultus atque cogitatio ejus semper terram spectat. Hinc e terra divitias eruit, et rursus sæpe in terram recondit, in puteos et scrobes, quemadmodum Achan ille, Jos. VII. quodque pejus est, animam et cor suum defodit cum auro: *Ubi est enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, Matth. VI. Unus tantum Lacædemones fuit, qui noctuas (pecunias noctuæ imagine consignatas) sub tecto occultasse accusatus est: cæteri Eucliones fere omnes et sordidi thesauristæ, Plutonii sunt: nec in tecta se suaque attollunt, sed in fossas dejiciunt. Nimirum quia e terra effodiuntur opes; ideo patriam suam repetunt.

VI. Hydropicus quo plus bibit, eo magis sibi mortem accelerat. Idem si non semper, communiter tamen contingit iis, qui nullos avaritiæ terminos ponunt. Audiamus exemplum aliquot. Diximus supra C. Caligulam imper. supra aurum volutari solitum. Et quamdiu in his divitiis imperator vixit? Non plus quam triennio et decem mensibus, interfectus a conjuratis, anno ætatis, 29. Baron. an. D. 43. Sabinianus papa successor Grego. M. cum prædecessoris sui liberalitati derogasset, nec dira urgente fame triticum (quod solebat Gregorius erogasset in pauperes, sed venum exposuisset triginta solidis modium unum; ab eodem Gregorio ter per visum admonitus, tandem in capite percussus obiit præmatura morte, cum non amplius quam menses quinque dies novemdecim sedisset, Sigebertus, in chron. et Anastasius, apud Bar. an. 605. imperatori et pontifici episcopum subjecimus, a. D. 1066. Reginherus Misnensis, in Saxonia episcopus, homo avarissimus, dum post refectionem in cubiculum, ubi thesauros suos infoderat, quasi paululum quieturus accessisset, jamque die vergente in vesperam pulsantibus ad moram insolitam cubiculariis minime responderet; tandem effractis foribus inventus est ruptis cervicibus colore exanimis, ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubans. Refert Lambertus Scatnaburg. apud Baron. Descendamus hinc ad plebem.

In loco, qui a Gallis *Rocca Amatoris* appellatur, monachi ecclesiae S. Mariae et S. Amatoris mutuo acceperunt pecuniam a praedivite quodam homine sub pignore cortinarum ecclesiae; et adveniente festo B. Virginis rogarunt eum ut cortinas tantum ad ornandam eo die ecclesiam accommodaret, statim post solemnitatem ei restituendas. Ille vero respondit cum tumore animi, eas esse circa lectum uxoris suae puerperae, nec posse inde amoveri; sicque ecclesia eo die ornatum suum non habuit. Nocte insequenti apparuit Dei Genitrix uxori illius, significavitque virum ejus grande peccatum commisisse; quare in ejus poenam puerum tertio die mortuum, deinde patrem octavo die hanc temporalem vitam ac felicitatem cum morte et gehenna commutaturum, ipsam vero singulis feriis quartis mente et sensibus defecturam, ac velut mortuam usque ad diem sabbati permansuram. Contigere omnia ex ordine; et tamen vir etiam filii morte nihil emendatus, in sua perstitit duritia, dieque octavo extinctus est; mulier Roma venit, ipsique summo pontifici omnia narravit ac de gestorum fide examinata ac probata est, Baron. an. 1180.

VII. Hydriopicus aqua turgidus, quasi in sepulcro degit. Nihilosecius avarus, qui tumore divitiarum inflatus inidoneus fit ad ingressum caeli, cujus janua praeanusta est. « Liberalis et benignus, inquit Hector Pintus, in c. III. Dan. erga pauperes domum sibi praeparat in caelo et in hac vita amplificatur et dives avarus hic eget et postea in inferis sepelitur. Ut enim vermiculus sericus gignit ex se fila quaedam, ex quibus conficit folliculum, in quo reconditus moritur: ita dives cupiditate et avaritia ductus ex suis opibus sepulcrum sibi in inferno construit et parat. Et impletur id quod est apud Lucam c. XVI. Mortuus est autem dives et sepultus est in inferno. » Haec ille. Superest ut hoc exemplis illustremus. Plutarchus, in parallelis narrat Brennum Gallorum regem rogasse suos milites ut in sinum avarissimae virginis, quae a Brenno quidem amabatur, non tamen ita regem vicissim uti aurum adamabat, aurum quod gestabant, immitterent: quo factum est ut magna vi auri obrueretur ac vivens sepeliretur. Itaque aurum huic puellae, quod stulte adamabat, cessit in sepulcrum. Calphas Babylonis rex turrim habebat refertam auro, argento et variis lapidibus pretiosis: tandem obsidione cinctus, contempsit evocare milites quo parceret thesauro suo. Itaque expugnata turbe captus et vinculis constrictus in illam ipsam turrim, omni destitutus cibo, inclusus est, ea insuper voce objurgatus: *In nunc et famem depelle thesauris istis, quos tam avidè sitisti.* Ita miser

fame enectus inter auri acervos cubans, et misere extinctus, sepulcrum aureum habuit. Refert Haittonus Armenus, in hist. Tartarica, c. XXVI. an. Dom. 1258. D. Gregor. Turonensis de gloria martyr. ca. CVI. narrat ex sepulcro cujusdam feminae avarae audita lamenta et vocem dicentem, se in igne aureo torqueri, eoque patefacto parochum vidisse aurum liquefactum cum sulphure in os defunctae infundi. Habuit igitur et haec mulier aureum sepulcrum, sed igne inflammatum. In auro hi peccaverunt, in auro puniti sunt. Sic Tomyris Scytharum regina caeso Persarum rege Cyro, aurum in os infudit dicens: *Aurum sitisti, aurum bibe.* Timeo ne hoc idem daemones avaris facturi et dicturi sint apud inferos. Ita enim vaticinatur eis S. Jacobus, c. V. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseris vestris, quae adveniunt vobis.* Quenam vero illa? *Aurum et argentum vestrum aëruinavit* (q. d. repositum a vobis est quasi idolum quoddam, nullo prorsus fructu) *et ærugo eorum in testimonium vobis erit et manducabit carnes vestras sicut ignis.* *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Juste et congruenter ignis avaritiae punitur igne gehennae: *Avaritia enim, inquit D. Basilius, hom. XV. de avaritia, malum est, quod stare nescit aut quiescere, sed ignis naturae simile.* Ecceur? *Ignis nunquam dicit: Sufficit: itidem et avarus.* Rursum cor avari tam tenaciter adhæret auro et argento ut nisi igne tartareo separari nequeat. Mercurius seu argentum vivum uti scribit Plin. l. XXXIII. c. VI. naturali propensione argento copulari amat et multo magis auro, quod miro affectu quærit tenditque ad illud ubicumque id esse advertit. Quod si terræ fit commixtum alterive metallo, id ab eo separat ac depellit; aurum vero ita fortiter apprehendit ut non nisi vehementia ignis separari ab eo queat, ignis autem dum resolvit Mercurium in fumum, cogit relinquere prædam. Hunc in modum avaritia, (quæ radix est omnium malorum, sicut Mercurius est venenum omnium rerum, Plinio teste), impellit homines ut aurum et divitias summa aviditate quærant et ipsis ex visceribus terræ eruant, legitimos etiam possessores non raro ab eis depellant: denique tam fortiter aurum argentumque amplectantur ut non sit potestas in terra, quæ separare eos possit: mille potius dolos excogitent etiam cum injuria pauperum. Quare huic tam præfracto Mercurio ignem Deus accendit et tartareum quidem, quo ab auro depellatur: ille *manducabit carnes ejus*: ille eum dissolvit, et quasi in fumum resolvit. Atque hic est thesaurus iræ quem sibi thesaurizant avari.

Quando igitur vidistis, auditores, qualis et

quam gravis morbus sit avaritia, superest ut quisque examinet seipsum, num forte hoc laboret. Ac si quidem in se deprehendat quis hunc morbum, huic ego quidem consulo ut cum hydriopico hodierno statuat se ante Christum. Ecqua vero ratione? Primo, consideret quam dissimilis sit ipsi, qui contempsit omnia regna mundi, nec tantillum quidem habuit, ut in eo caput reclinaret: deinde, bene expendat, quanta is tonitrua, quanta fulmina mittat contra avaritiam. Ad extremum etiam cogitet, in uno ac solo Christo omnes esse divitias et omnis generis thesauros.

CONCIO V.

REMEDIA EBRIETATIS.

- I. Considera quid feceris. — II. Quid perdidisti. — III. Qualis evaseris. — IV. Quid commerueris. — V. Quid promiseris.

THEMA.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet?
Luc. XIV.

Raro admodum contingit asinum aut bovem, nisi impellatur aut luminibus careat, cadere in puteum; adeo sapiunt bestiae, ut pericula sua vitant. Homines vero in puteum cadere adeo rarum non est, ut quotidianum sit. Licet enim pauci labantur in aquae puteum, plurimi tamen sunt, qui non semel, sed multoties labantur in puteum vini vel cerevisiae, ubi mergunt et suffocant mentem, robur, dignitatem, scientias et quidquid aliud possident. Ita enim S. Augustinus (vel quisquis auctor est), ser. XXXIII. ad fratres in eremo, ebrietatem vocat *puteum inferni*: et in serm. XXIII. *Ebrietas quasi inferni puteus*, inquit, *quoscumque susceperit fortiter sibi vindicat*: necnon Athenæus, l. XI. qui magnum poculum vocat *argenteum puteum*, in quem cadit ebrius animam et rationem suffocans, seque et sua omnia demergens. At vero quanta hæc ignominia, bestias cavere, ne incidant in puteum, homines non cavere? Discamus igitur ab illis fugere ebrietatem; sed quibus mediis? Audiamus.

I. Cum quis labitur aut cadit vel etiam cadere timet, manum illico extendit objicitque casui, ut se ejus ope servet vel etiam præservet. Quid igitur faciemus, cum in convivio, v. g. aliave occasione timemus labi in ebrietatem? Manum objiciamus. Sunt enim in manu, quinque digiti, qui totidem nobis monita ad vitandam ebrietatem dare possunt. Sunt autem: pollex, index, medius, annularis, auricularis. Primus dicit:

Quid promisisti? Secundus: Quantum perdidisti? Tertius: Qualis evasisti? Quartus: Quid meruisti? Quintus: Quid fecisti? A minimo incipiamus.

I. Primus auricularis (sic dictus, quia eo aurem scalpimus vel purgamus) dicere nobis in aurem videtur: *Quid fecisti?* Et si hoc nescis, interroga charissime tuos sodales, vel domesticos, quid hesternum in crapula feceris, quantum deliqueris, quibus in periculis fueris. Audi inquam, siquidem tu oblitus es omnium illorum, quæ ebrius egisti. Audies tunc non neminem dicentem: Domine, tu heri famam convivarum dire lacerasti: tu exemplo et vibrato gladio uxorem et liberos tuos pene occidisti: arcana tua prodidisti: ad duellum descendisti: per gradus scalæ præceps ruisti, etc. Hæc tu si audieris, quomodo non pudefies et tibi irascaris arguesque teipsum temeritatis et stultitiæ: certe etiam canis si ducatur ad ollam quam confregit, agnoscit culpam, ac si impingas illi os in testa, cavebit aliquamdiu saltem, ne simile quid delinquat. Ecceur igitur homo audiens quid egerit in sua ebrietate, non erubescet nec cavebit? Stultus ille Nabal postquam ebrietatem decoxit et audiit ab uxore quomodo ebrius offendisset Davidem, et quo in periculo fuisset, metu et horrore penam exanimatus est, et: *Factus velut lapis*, I. Reg. XXV. Et quid putamus sensisse Noen, cum post inebriationem audiit a filiis se nudatum in ebrietate, ludibrio fuisse filio et nepoti, Chamo scilicet et Chanaano? Certe ex illo tempore ebrietatem summe cavisse, nec amplius incurrisse credendum est, Gen. IX. Phocas imperator cum ea die, quo ludi equestres peragebantur, in edendo et bibendo modum excessisset, a plebe per ignominiam verbis hujusmodi notatus est: *Rursus a caneo bibisti, rursus mentem amisisti* (caneum, poculi genus est, quod inter bibendum sonitum edit nobis). Quod ubi is audivit, complures ob id convicium morte mulctavit. Refert Glycas, IV. p. annal. Byzant. Rectius fecisset, seipsum si mulcasset quod videlicet sua intemperantia ludum et fabulam vulgi se præbuisset. Contra Alexander Magnus cum ebrius Clytum sibi amicissimum hasta transfixisset, discussa ebrietate adeo indoluit ut evulsam e corpore jacentis hastam retorserit in semet, et jam pectori admove-rit, ultionem in se facturum (auct. Quinto Martio, l. VIII.) nisi fuisset inhibitus.

Efficax ergo remedium contra ebrietatem est, quod dedit Pythag. apud Stob. ser. XVIII. *Si quæ per ebrietatem fecisti, frequens animo rotas.*

II. Secundus, annularis, quem annulo et gem-